



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

plenam posuit. *Felicius utpote, quam in palatijs fecisset. Surius Baronius.*

XII.

IN perillustri S. CORNELII ad *Indam* Abbatia, B. Confessoris BENEDICTI, qui regnante LUDOVICO *pijsimo Imperatore* Abbatis Fastigium septem. & amplius annis tenuit, animi candore, sui submissione & contemptu insignis, integerrimæ probitatis exemplum de quo illud Apostoli jure affirmaris: *Mundum atque ipsum sibi invicem fuisse Crucifixos.* Ex tab. Abbatie & Necrologio.

XIV.

HVIUS Principis, ERARDI *publico bono nati Merita*, ne plus noctis, quam lucis meo è calamo hauriant, ea integra, ex manu & typis conscriptis *monumentis* LEODIENSIS Ecclesia referenda operæ pretium existimavi. ERARDVS à MARCKA, *Filius* ROBERTI *Comitis* à MARCKA, ex *Canonico* D. LAMBERTI *primùm* LEODIENSIS *Episcopus*, tum etiam *CARNOTENSIS*, tum *Archiepiscopus* VALENTINVS, dein *sacra ROMANÆ Ecclesie Cardinalis*, denique *Apostolicæ sedis Legatus à latere.* Principium ad-

D

ministra-

ministracionis suæ à Deo & Religione ductu-
 rus, in LAURENTIANO primùm Cœnobia, dein-
 de in *Chartusiano* MONTIS DEI propè SEDA-
 NVM ad sacra se comparat opportuno secessu,
 & rerum divinarum commentationibus. tum
 confirmatione à Pontifice acceptâ, ad S. Laurentij
 Sacerdotio initiatur, ac deinde TUNGRIS, Episcopali
 caractere consecratus, LEODIVM ingreditur solēni-
 ter Sacerdotij primitias Deo offert in æde S. Lam-
 berti ipso Pentecostes die, spectante multitu-
 dine innumerâ, in qua & Abbates quinque
 supra viginti. *De hoc Prasule*, ut homines tace-
 ant, loquentur opera, tam sacra, quàm pro-
 fana. Inter sacra recenseri possunt, ac debent
 primò *Divi LAMBERTI Martyris sacrum CA-
 PV T*, quod sic exornavit. Quo die creatus
 fuit LEODIENSIS Episcopus, illi ornando con-
 tulit grave argenti pondus, tum auratam ex
 argento fieri statuam curavit opere elegantif-
 simo, amplitudine plùs quàm humanâ ad um-
 bilicum usque Episcopum illa refert insulâ re-
 dimitum, dexterâ pedum, librum lævâ gestan-
 tem. Pro basi opus est arte rarâ elaboratum in
 modum porticûs, totam molem ambientis, in
 qua minoribus figuris efficta sunt illustriora
invicti

invicti Martyris facinora. Et hoc primum sacrae illius munificentiae monumentum. Alterum est nobilis ex argento theca, mole ac pondere spectabilis, sed factoris arte spectabilior, in quam recondidit *D. Martyris THEODARDI sacrū corpus.* Post hoc etiam molitus est aliud: geminum scilicet æs companum *ERARDI monumentum:* alterum *CHRYSOGONI,* quibus nullum in vrbe, aut magnitudine, aut pondere comparandum, tum etiam aræ Principis pallium opere Phrygio, gemmis & vnionibus sanè dives, opus & materiâ & arte nulli secundum: cui accessere ad *Missæ sacrificium* sacrae vestes & capæ duodecim è telâ aureâ, & ipsæ unionibus graves. Eòdem spectat, quod duobus ante obitum annis, *sepulchrum sibi vivens posuerit,* cui nullum fortè in Europa par invenias, opus est ex ære aurato statuis rarâ arte fuis insignis; cui hoc Epitaphium ipse insculpi iussit:

*ERARDVS à MARCKA mortem habens
præ oculis VIVUS posuit.*

Et hæc fuerunt *sacrae illius* in Posteris *beneficentiae monumenta,* quibus paria, immo & maiora sunt opera, quæ perfecit & in Vrbe & foris. Foris quidem erecta in sinibus Patriæ munimenta

nimenta, cuiusmodi sunt *Arx Hoiensis, Dionantea, Franchimontana, Stockemensis, Curingana.* In Vrbe autem Palatium ingentis omnino molis, cui erigendo totos 32. años insumpsit, sumptu planè Regio. Nec enim aliud aut poterat, aut volebat qui illi regius erat *animus.* Esse in terris desijt anno M. D. XXXVIII. Kalendas Martias, CORPVS illatum sepulchro, quod sibi *vivens erexerat: COR* autem *HOIAM* in *ade Cruciferorum: EXTA* reliqua in Cœnobium *SEPTEM FONTIVM,* non procul *Bruxellis delata sunt. Ex Glori. Leod.*

XV.

IN Castro *V. OLMVNDTSTEIN RVRÆ* in *Marchia* imposito, *Beatæ Memoræ venerabilis GERTRVDIS,* quæ inter blandientem mundum & amplissimam fortunam, turbas & temporalium negotia fugiens, umbrâsque devitans sponte reclusa, *Dei causâ,* umbras inhabitavit, solidâ pietate, laborum patientia, mansuetudine, aliarumque *virtutum splendore ita ex ijs emicans* ut gemino in orbe *umbrae* illi amplius non sint formidandæ: *more enim solis, virtus hoc pulchrius nitet, quò diutiùs latet. Ex Appar. Gelen.*